SERENISSIMUS JACOBUS LUDOVICUS SOBIESKI,

POLONIARUM & M. D. LITTHVANIÆ

REGIUS PRINCEPS

Semper Comite & in Vivis & in Morte,

Jam verò circa Solennem, ac verè Regium funeris apparatum

Piô affectu DUCE

CELSISSIMI ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI

In Ołyka & Nieswież DUCIS,

In Mir, Kroże, Szydłowiec, & Biała COMITIS

D. MICHAELIS CASIMIRI

RADZIWIŁ,

CASTELLANI VILNENSIS,

DUCIS CAMPESTRIS M. D. L.

Premislien: Człuchovien: Bracławien: Camenec: Ostrcen: &c. &c.

CAPITANEI,

In Divorum Patria

COLLOCATUS,

Oratione lugubri

Perennem Polonæ Provinciæ SCHOLARUM PIARUM *obligationem*

testante, à suæ Fundationis Domo Złoczoviensi

DEPLORATUS

Zołkieviæ die 19. *Decembris* 1743.

LEOPOLI,

Typîs Pauli Josephi Golczewski Sacræ Regiæ Majestatis Typographi.

14K

UMBO potens! qui Martis opus, qui Palladis artes
Belligeras tenuit, ſat grandi ſcinditur ictu!

Pontadius.

Pulchra Ducem Virtus non *SCUTUM* à vulnere texit.

Palingen.

Non moritur, quem Vita probat, quem clarus in Orbe
Virtutum commendat Amor, Cui Nobile Nomen,
Et longæva dabit vivacem Gloria famam.

Barlæus.

Immortalis Avis, tumulôque incluſus eôdem
Egrederis tandem, & Gentes diffuſus in omnes
Cunctorum lingvis veheris; mors pallida dicit
Extinctum, ſed Fama negat.

Idem.

Nos - - *PIA* turba Tui, jam publica luctûs
Argumenta damus; votisq; repoſcimus Umbram
Præcipitesque colos querimur.

Idem.

CELSISSIME PRINCEPS.

DIvisum per partes, in complorantem summis fatis SERENISSIMI JACOBI REGIJ PRINCIPIS Patriam, cognatasq; ei Provincias; in Nepotes jacturâ excelsi sangvinis inconsolabiles; in devotos Nomini SOBIESCIANO Cives populumq; justis obsequijs insistentem; Unus TU corde invicto, Animo tamen sensibili collectum suscipis & sustines dolorem: DUCUM Potentissime. Testis vel ipsa Zołkieviensis Basilicæ lugubris pompa; quali amantissimus GENITOR JOANNES III. hunc Fillium suum Primogenitum, ultimò verò denatum vix fuisset prosecutus. In quavis enim Sacris parietibus & Mausolæo Illius Vitæ, TUIq; in eum Amoris affixa insigni tabulâ; ubi Cor Tuum insimul mærens, grata Prædecessoris memoria, perenne Optimo Viro legitur votum; unusquisq; discit, quàm Magnus,

gnus, cecidit PRINCEPS! *Cui* DUX *tantus parentat: quam fortis dolor! qui marmora ſcindit. Et certè Illius Sanctæ Felicitati, extremæq; laudi ſi quid plùs adjici poteſt, quàm ut parem & Parentis meritorum, & ſuorum in Rempublicam Studiorum habeat remunerationem:* TUÆ *parùm eſt liberali Pietati, niſi congregatis in cumulum omnium affectibus, omnium inſtructus doloribus, pro ſingulis Regni Ordinibus, pro conjunctis illi neceſſitate ſangvinis Provincijs Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Daniâ, primiſq; Imperij Electoribus, dignum proculdubiò Rege, dignum Auguſtiſſimis Proſapijs,* TE *Ipſo dignum ponas monumentum.* Taliter mæret! quicunq; & Maximorum Parentum in luctu vices obit, & totius ferme Orbis planctû in ſe ſuſcipit. *Si tamen inconditum* PRINCEPS CELSISSIME *velis dividere dolorem, habes in obtentu* Scholas Pias, *quæ filiali hac exiguâ lugubris ſchedæ comploratione, locô demortui* PRINCIPIS FUNDATORIS Tibi *præſentant obſequium, niſi tanquam Communis* PATER *Noſtrum etiam lacrymas ſiſtere vel ferre elegeris. Si ergo Univerſorum* TE *afficit Compaſſio, ut* TU *in omnibus, & omnes in* TUA *comparentatione, inveniantur Nos quoq; non rejicies; qui alibi in partem ſolatiorum* TUORUM *ſolicitas pervigileſq; curas promittimus, ſemperq; precamur, ut in quovis Gloriæ* TUÆ *nunquam defecturæ progreſſu, ſit* Tecum, Tuiſq; *cum Succeſſoribus, Nepotibus, Conſolator* Omnipotens.

Tsi hæc est rerum prætereuntium necessitas, ut omnia ad tempus tantùm Nobis à DEO T. O. M. præfixum concedantur: nihil itaq; stabilis, nihil certi & perennis de congenita mundo fragilitate polliceri possimus: tamen ad faciliùs tolerandas, vel saltim pro aliquo temporum spatio arcendas, graves Vitæ præsentis ærumnas, innumeras quidem, nec leviter superandas satis bene feliciterq; humano generi Cælorum clementiâ, provisum fuisset, siquis bonô factô Nobis è Cælo demissus, cùm Animi, tùm corporis dotibus instructus, vitæ laudabilis integritate, morum gravitate, in rebus gerendis dexteritate, ingenij præstantiâ, quandam Divinitatis speciem præferens, eôusq; in Vivis consisteret, quò ad reliqui mortalium rectam vivendi rationem, virtutis, qua pollebat, Normam, addiscerent; aut crebros inter eruditæ con-

versationis usus, si non pares effici, ad minùs amore honesti pro viribus imitari contenderent. Sed Nos miseros! (atq; si fas est dicere) plusquam infelices! ut magis execrabilis nostræ mortalitatis reddatur conditio, invisa nostro bono sic inhiant fata, ut vix impetratum, & veriùs liberaliter à DEO T. O. M. datum terris lætamur accepisse donum; vix perspectâ probitatis formâ ardenti imitationis corripimur æstu, Illos: qui præclaris naturæ donis eminent, aut Divinis propè excellunt Virtutibus, è medio Nostri tollunt eò dolentiùs, quod de imminenti hac injuria non commoniti, cum diutiùs illorum consvetudinem sequi posse speramus, initiô, vel annorum in medio, eos amittimus: quò fit, quod primis labris prægustatam interrumpant voluptatem; præcisis inexpectato mærore gaudijs; mente confusâ, ulteriorem recti boniq; præcludunt viam; ne vel pro exiguo tempore apprimè Nobis necessaria condiscere, non pro voluntate Nostroq; desideriô, non pro gloria Nobis exemplo præeuntium, luce hac frui, patiuntur.

Facti, dictiq; istius evidentiam, in summa primarum in Orbe Provinciarum perturbatione, ac deplorando utriusq; Poloniæ Statu, ex immutata Procerum Regni facie, ex intimo omnium doloris sensu, in tristi, nec satis dolendo funere *SERENISSIMI* JACOBI LUDOVICI Regij Poloniæ ac M. D. Litt: PRINCIPIS nemo non intelligit. Mæret omnis ætas, complorant Regni Status, languet emoriturq; populus hac insanabili acceptâ plagâ; quod nedum, non ita quidem maturo, verùm inopportunô obitu ablatus est; Cujus vita solidis exculta Virtutibus, publicis pernecessaria emolumentis, multorum usurpata commodis, omnibus ad exemplum amabilis: Qui fidem servare Patriæ, honorem Majestati, æqualibus promptitudinem, Amorem Civibus, bono communi salutem deberi docuit: Qui blandientem moderari fortunam, adversis non frangi, non extolli prosperis, ad for-

tia

tia ſemper conniti, inter temporum viciſſitudines res expertô humanas, non mutari, luculenter præbuit teſtimoinum. Grande funus! in quo Magni Principis exuvijs juſta perſolvimus: funus! multis indeplorandum ætatibus, imo nullis; *In rebus enim illis quas quandoq; perditas dolemus vehementer, ſpes ponit doloribus modum, quando ſimiles poſſe recuperari, majores vel meliores acquiri, Nobis promittimus. Illius nulla datur moderatio, nec terminus doloris, cùm ploramus amiſſa, quæ ampliùs haberi nequeunt. Hoc ſanè uberrimis defletur lacbrymis, quod nec perditum invenitur, nec æternâ deletur oblivione, & eo ipſo, quod nunquam excidat memoriâ, altiſſimi eſt nova cauſa ſuſpirij.* Quonam factô fieri poteſt *SERENISSIMI* non meminiſſe PRINCIPIS? Qui, ac ſi necdum extinctus eſſet, Noſtris adeſt obtutibus: ille adhuc Regni ſuſtinere videtur curas; ille quæ pacis & belli ſunt cum Optimatibus agere, ille manus cum hoſtibus conſerere, ille vim hoſtis feliciter retundere; ille rara optimis dexteritate inultas injurias tolerare, ille bonos Cives condignis præmijs afficere, egeſtati ſerena fronte, manuq; regiâ ſuccurrere, ille ſe totum uſibus Eccleſiæ, Patriæ impendere. Et hæc ipſa rerum ab ipſo geſtarum, olimq; gerendarum viva Imago, graviùs dulci recordatione afficit mentes, talem tantumq; vidiſſe, audiſſe, vixiſſe & tandem deſiiſſe.

Incuſamus fatorum inclementiam, quoties retroactis ſæculis claros ſua Virtute legimus Viros, aut ex natis Natorum audimus illuſtres, quod ad hæc non pervenerint ſæcula, ut cum præſentibus comparatione facta, quis fortior? quis honorabilior? quis meritis major? quis laude inferior? appareret, diſceremus. Non quærimus tamen, neq; quærimur de his, quæ vetus protulit fama, cum præſentia magis delectent, erepta recens acriùs torqueant. Quantus mærori uno ictu oculorum proxima uſurpantium, PRINCIPEM cecidiſſe? cui Cives propriam donâſſent ſalutem, quo longiùs conſolarentur: quantus dolor! ex aſpectu Rei-Publicæ

 abijſſe

abijſſe, qui Delicium gentis, Familiæ ſuæ Ornamentum, habebatur; quàm interimens viciſſitudo! cum minùs doluiſſemus, ſi minùs noviſſemus: *tolerabilior enim eſt detrimenti latentis jactura*: adeoq; illas cogimur in ferventibus lachrymis optimo PRINCIPI deferre querelas, ut aut nunquam tàm breviter vixiſſet, aut pro omnium voto diu ſuperſtes ſua luſtra exegiſſet; Qui tantùm luctûs mortuus impoſuit, quantùm vivens dulcedine operum, amoris promeruit. Quodſi mortem æqualium ſuſpicimus, quorum parùm noſtrâ intereſt, aut obitus aliquantum detrimenti rebus privatis affert, profectò inhumanum eſſet in ejus è vivis diſceſſu, nullum, aut levem capere mærorem. Si quis in univerſali comploratione *SERENISSIMI* JACOBI gemitum non ederet, crudele, nefandum & quid inſolitum accidiſſe videretur. Niſi enim Regia Majeſtas ſuum Fulcrum: Senatus-Conſultum primam Mentem, Equeſtris Ordo Ducem, Templa Conſervatorem, Cives Patrem, Pupilli Tutorem, Libertas Defenſorem, Jura forumq; æqui Aſſertorem ſciviſſent, ad juſta reddenda, fronte, oculis, facie, geſtu, pectore, corde commoveri nunquam debuiſſent. Ne etiam *SCHOLÆ PIÆ* ad tàm lugubre ſpectaculum defuiſſe videantur, jungunt lachrymis lachrymas ſuo FUNDATORI, hoc exiguô Orationis Argumento, quo Vitæ partes PRINCIPIS pulcherrimis datas, utpotè Regijs exercitijs, percenſere cupiunt, pijsq; ſuis Manibus gratum teſtari obſequium & devotionem.

Pluſquam certum eſt, primùm locum offerri illi Virtuti, quæ à propria Viri clariſſimi ſumitur laude; quia tamen non poſtremo cenſeri ordine hanc quoq; quæ ab inclyta generis Nobilitate promanat, multis rectè ſentientibus perſvaſum eſt; idem facere non indignum exiſtimo. Plurimùm enim Nobilitas loci ac ſplendoris affert Virtuti. Jlluſtrem ac præclaram plerumq; ſupprimunt obſcura natalia. Cujus rei tantùm elucet Veritas, quantùm fortes ex fortibus naſci credimus. Si enim animantium,

planta-

plantarum, Arborum eſt decus, ſeminariam vim in ſe bonitatis retinere, quantò magis conſentaneum hominibus, quibus & naturâ & diſciplinâ datum eſt, ut Majorum ſuorum Imagines cognoſcere, ut eorum præclara facta ſibi ad imitandum poſſint proponere. Jure meritò Veteres illi, à quibus; cunctis fere gentibus bonæ inſtituta Vitæ proficiſcuntur: porticus, ædiumq; atria Patrum Imaginibus adornabant, eaſq; pro ſolenni funerum pompa oſtentatui exponebant, ut quantus Nobilitati deferendus ſit honor, declararent. Multùm utiq; refert, Avorum, Abavorum præclarè geſta jugi retinere memoriâ, aut appenſa poſtibus circumferre, cum ex recenti commemoratione, tantò uberior Patriæ venit felicitas, quantô verior Paternarum Virtutum effigies, quaſi traductis in poſteros lineis, præſentatur. Ingentes profectò ſunt ad Virtutem ſtimuli Majorum laudes; accenditur enim ad peragenda fortia quæcunq; non pigra indoles eſt: Et ut plùs advertit ſe debere ſangvini, magis quoq; obſtrictam ſentit Virtuti. Excitantur non inſolenter, quibus intra domeſticos parietes, quò quò ſe vertant, occurrunt primitivæ gloriæ monumenta. Primùm igitur DEO T. O. M. collatum tenemur referre beneficium, ſi ſummô loco naſcimur: Secundum, ſi liberaliter educamur: tertium ſi honeſtè ac liberaliter educati, tales fructus facimus, qui Nomini ac Stirpi conſentiant.

Implevit hos numeros SERENISSIMUS LUDOVICUS JACOBUS Regius Poloniæ ac Lithvaniæ PRINCEPS tam diligenter, quàm maximè. Natus eſt ille JOANNE SOBIESKI primæ ſemper recordationis Rege Poloniarum, hujus Nominis Tertio; ac LUDOVICA MARIA GRANGESIA Regina, SERENISSIMIS PARENTIBUS. Quid Nobilius? quam illius Regis eſſe Filium, quales non admodùm multos Mundi numerant Annales: Jllis naſci Parentibus quid clariùs? quorum, ſi vetuſtatem Domûs quæris? MARIA à CLODOVÆO Galliarum Rege non interruptâ lineâ;

 inſlu-

(influente Comitum, Principum, Regum, Imperatorum in Domum GRANGESIAM Sangvine) omni recommendatione clarissimam, propter grandia *de la GRANGE* dictam per LUDOVICUM Comitem *de MALIGNI* Parentem suum; augustissimam traxit Originem; sua Virtute regiô digna thoro: JOANNES ab Jllustrissima SOBIESCIORUM Prosapia vitam, Nomen Triumphatoris à suis meritis, Regiũ sceptrũ à grata suis triumphis Polona accepit Republica. Octavum teritur sæculum, à quo SOBIESCIJ per SOBIESLAUM *LESCONIS* Tertij Filium, PREMISLAI I. Nepotem in publicam editi lucem, Domum hanc inclytissimam, ipsis ferme coævam Lechiæ Conditoribus, ut Annalium documentis commonemur, ita statu rerum in Polonia gestarum perhibente observamus, quod continuâ annorum serie succedentibus & cumulatis meritis, ne quidem latum unguem à primis gloriæ recedendo vestigijs, demum in Regiam transijt Stirpem. Si Majorum recenseri cupis Cathalogum? per fasces Avos, Abavos numera, & Domi natam purpuram invenies. Ab ipso exordio, hæreditate quadam huc se amplissimi collegerunt honores. SOBIESCIANAM progeniem quandam Senatorum Curiam dixeris, in qua Principum Mitræ, Consulum clavæ, Imperatorum murices, Mareschalcorum Scipiones, Cancellariorum Sigilla, Pontificum Infulæ & sexcenta Regni Insignia commigrârunt. Quemcumq; legeris SOBIESCIUM, non nisi de Consule natum crede. Si ego meritorum in Rempublicam recordabor? ex laudatissimis eorum factis palàm elucet Morum dignitas; pleni his exstant fasti, nec aliquo dicendi genere, aut levi foliorum opere possunt comprehendi. Sæcula ad tabulam vocet, qui scire velit, quantam SOBIESCIJ uno etiam lustro operam perfecerint; quomodo suis Patriam humeris fulcierint? quid pro Libertate gesserint? quibus Magistratibus insignes fuerint? quod bella expediverint? quot hostes deleverint? quot triumphos reportaverint? Si ætates ad calculum conferam? quibus floruerunt? & has non usui suo, sed Patriæ impenderunt; tempus defecturum putarem, cujus

jus anguſtias ſupplendo, optimè novi, illorum ſumma facta bonam æternitatem, & perennaturam monumentorum recordationem ſuſcepiſſe; teſtariq; quod SOBIESCIJ plùs vixêre gloriæ, quàm cæteri naturæ. Jam profectò facilè ego impetrabo veniam, ſi in tanta dicendi materia (qualis eſt Majorum hiſtoriam per diſtinctas ætates recitare) ſolâ utar reverentiâ, cum non me lateat, incultam eloquentiam plerumq; magna Nomina offendere, profundum cultum nunquàm. Et licet hìc aliquos proferam SOBIESCIOS, non recenſendorum factorum gratiâ (quæ ſunt plenè innumera) ſed ſolâ acquirendi nitoris ratione, ut ex ſe obſcura, ad PRINCIPIS, in hac juſtâ comploratione Virtutem declarandã, à Sereniſſimis Nominibus in immensũm colligat lucem.

JOANNES, pars maxima SOBIESCIORUM ſtirpis fuerat, & Caput; qui *SVETOSLAO* Comite Limburgenſi, ejuſq; Conforte *ZEMOMYSLA* Ducis Mazoviæ Filia natus, ad agenda fortia totam impendit curam. Summum attigit exiſtimationis, belli uſu JOANNES: & quantùm brevitate Corporis alios æquare impedivit natura, tantùm præcelſos, Animo ſuperare Heróâs conceſſit Virtus; ut nemo major JOANNE Surrexerit. Gratioſus ille *BOLESLAO CHROBRI*, cùm probato inter Martios ignes bellicæ artis ſtudiò anteiret, ſupremus Exercituum Dux præficitur. Nec fruſtra, nam indomito ferro Regni dilatavit limites, Domum multis ampliavit prærogativis: Cui in ſignum egregiæ fortitudinis, ac gratæ ſuæ, rebus à ſe dextrè geſtis benevolentiæ, *SCUTUM* coloris violacei in Stemma, perpetuumq; clypeatæ Proſapiæ Decus obtulit; illudq; *JANINA* dici voluit, quod JOANNES Nomine diminuto *JANIK* dictus, primus poſteris ſuis acquiſiverit: Talibus officijs Rex dans futura indicia, *JANINOS* ad protegendam Patriam in Orbem prodituros. In triginta ſex capita à JOANNE *JANINORUM* diviſa eſt Familia, quòd in hoc etiam numero toti regendo orbi ſufficerent, ſatis compertum eſt. Ut verò in unione & ſucceſſione Virtutum quæq; per diſtinctionem ſuam emineret, præter commune vocabu-

lum, à proprijs ditionibus cæpêre nominari. Crevit in dies lau- datiſſimâ induſtriâ; fortitudine memorandâ; innatâ rei militaris pe- ritiâ, quantùm numeroſæ hoſtium multitudini reprimendæ, aut in acie profligandæ ſatis. Jam vel ex ipſis priſcô illô ævô connubijs *JANINORUM* liquet, quam reverentiam apud finitimas Provincias promeriti fuiſſent, qua dignitate in Patria præfulſiſſent; quando MIECISLAUM Regem decuit ſua offerre ſtudia, ut JOANNES Fi- lius *JANINI* Patris, Virtutis & Nominis genuinus Succeſſor in *Białotułowice* Comes in ſociam vitæ cognatam Regis Daniæ HE- DVIGEM Comitem Olſztynenſem duceret: CASIMIRO primo cauſa honoris fuit, ut voto ſuo inſtinctuq; ANDREÆ *JANINÆ* Duci belli potentiſſimo; Moravorum, Pruſſorum Triumphatori glorioſiſſimo, ANNA GRANOWSKA Palatinis Ruſſiæ connubiali vinculô jungeretur. Sic! fortium diffundatur Sangvis neceſſe, ne bellica Virtus in Nepotum paucitate deficiat. Velut in Clypeis Soles eluxêre, ANDREÆ Martia Soboles, SOBIESLAUS & GE- ORGIUS inter arma educati. Annis Tyrocinij vix poſitis, forti- ter ſe Prutenis, ac Moravis ferrô & igne Poloniam vaſtantibus op- poſuêre: unde altero rarâ Heroibus dexteritate occumbente, SO- BIESLAUS adverſo minimè cedens Marti, nec fato territus Fra- tris, victoriam reportavit. Fortuna belli hìc ſatis edocuit, quod Victor, alterius non egeret adminiculo; Solus par acies proſter- nere. Plurimùm debet Patria SOBIESLAO, qui neq; Conſilio, nec opibus, nec ſui pectoris obtentu ullô unquam locô defuit Patriæ. Sex luſtris Imperialem geſtavit Clavam: Dux ipſe, & miles primus in aciem, poſtremus ex Acie non redibat ſine triumphalibus exuvijs. Non pænituit illum Vitam litare Patriæ, quàm non ſuam, com- muni bono natus, exiſtimabat. Fractus aliquantùm Annis non la- boribus collata ſibi à BOLESLAO in præmiū Generoſitatis Podoliæ Curuli, (ut proximus Ottomanus, vel Nomen ſuū metueret) quievit. Ita audiebant Heroicis operibus! ita reſplendebant ampliſſimis ho- norum titulis *JANINI*! Nulla in Patrio ſolo dabatur Pacis præ-

rogati-

rogativa, nulla belli Præfectura, nullus Magistratus, quem sedulâ ad omne Sacrum civileq; exercitiũ contentione non auxissent; Consiliorum gravitate, solerti vigilantiâ non perfecissent ita, ut nec plùs Patria tunc ab illis desiderare potuisset, nec Ipsi pro Nominis sui existimatione ampliùs peregisse. Ne ergo parvi æstimare Maximi Reges *JANINORUM* merita censerentur, primis Eos cumulârunt favoribus: hæcq; gratæ mentis testimonia ex Augusta sede refundebant, taliq; viâ.

BOLESLAUS CRISPUS ad Palatinam Curulem Calissiensem, ALEXANDRUM *JANINUM*, qui par Domitori Orbis in fugatis, deletisq; Tartaris enituit; CASIMIRUS I. Lechici solij Jubar, VITOSLAUM nullis superatum adversis belli eventibus, verè natũ ad prælia Virum: ADALBERTUM semper Marte prospero congredientem Purpuratorum Patrum adscripsit numero; primum Castellanæ Calissiensi curuli, reliquos Culmensi, Belzensi Palatinatibus fecit præesse. In hoc Senatûs Conclavi non ipso civili murice conspicuos observâsses Curios, etiam sacris præfulgentes purpuris vidisses: primũq; inter illos VITUM, vitæ Sanctimoniâ commendatum. Plenus erat Zelo Divini cultûs Præsul, nec tamen immemor Patriæ, curarum ipse pars non postrema publicarum, cum cæteri *IANINI* armis in acie Regno parabant, tuebanturq; fortunam, ille partam precibus ad Superos solidabat; eo modô optimè bono communi prodesse sciens, seu dum fortiter pugnatur, seu dum constanter oratur. Procul dubiô Deum T. O. M. rebus non ita prosperis favisse (quem sibi devotissimus Pontifex profusa in Aras liberalitate fecit propitium) Buscense Ordinis Prædicatorum, Vitoviense, & Plocense Præmonstratensium, Monasteria testantur. Summa factorum, quæ pro Fide, Rege & Lege gessit, hinc colligenda est, quod Cælo Suis omnibus gestis comite, cum majores in terra accepisse titulos longius ævum non permisit; Cælum deniq; pro mercede laborum obtinuit. In multo pretio habebatur VLADISLAO non irrita dexteritas NICOLAI SOBIESKI: Cui

ut Aurum ad fuccurrendum neceffitatibus publicis contemptibile, ità ferrum ad præliandum pro Civibus dulce fuerat: qua perfpectâ primam inter Patres Rex fibi obtulit fedem Confularem. Implevêre admodum *JANINII* totam Domum gloriofis adoreis, implevêre Orbem famâ, fed nondum pari titulô emenfum Nomen.

Nafcuntur tandem fortes Fortibus fub Sigifmundo Poloniarũ Rege, idq; de lumbis PROCOPII *JANIN* Palatini Kijoviæ, cum FEBRONIA PETRI SANGUSZKO LUBARTOWICZ Caftellani Braclavienfis, *DUCIS Kofzyrienfis*, elocata fibi Filia, SEBASTIANUS qui ad originativam SOBIESCIORUM Familiam, præter ufitatum vocabulum *JANINA*, dici voluit SOBIESKI. Novus hic Heroûm aperitur campus cum novâ appellatione; SOBIESCII Majora Majoribus addiderunt. *Sunt fua media Virtuti, quibus in apricum (ut eft SOBIESCIORUM) prodit. Non uno tantùm probitatis itinere magna progreditur indoles, ut ad idem redeat fuæ gloriæ punctum. Naturam Solis, aut Oceani imitatur; ut enim hic continenti fuo nequit immotus confiftere affiduo euntium & redeuntium procellarum fervens æftu, ideoq; mundi plagas non uno alluit flumine, & demum ad primum fe refert Confluentem: Sic ille in meridie fœcundam difpenfans lucem, cum ultra Zodiaci polos procedere nequeat, ima petit, novum Orbi diem accenfurus*: Ita SOBIESCIORUM mens generofa, cum nullis jam claudi potuit terminis, novam figit radicem, quò fuo tempore ad fumma excrefcat. SEBASTIANUS *JANINA in Sobiefzyn* SOBIESKI Vexillifer Regni confcriptum Aboriginum fuorum ducit agmen, Antefignanus & Signifer non titulo, fed recentibus impreffis laudum veftigijs infiftens, MARCUM Nomine, hæredem & Imitatorem reliquit. Pulchra Patris effigies! jucundior fuæ lineamentis gloriæ, firmum Regni Columen, tutum Libertatis Afylũ, in rebus dextrè regendis & gerendis primi Confilij, fummæq; Prudentiæ Vir; rebelles profligavit Gedanenfes, ad præftandam Regi Obedientiam côegit; cataphractum Ducem perduellium ad mediũ Viftulæ compulfum; (ne terra, & fidei & Regni Regumq; aleret hoftes,) alto fub-

ſubmergi ac præfocari laboravit. Vix auditam præliandi magnanimitatem, in MARCO bene ſuſpexit Sigiſmundus, dicere auſcultatus; *Si quoties Regni fortuna unius belli aleæ, ut quondam inter Albanos & Romanos de ſummis rei, hinc & illinc fortiſſimè certatum fuit; committenda eſſet, nemini meliùs hoc Heroë confideret.* Caſtellanus ille, poſt Palatinus Lublinenſis, oſtendit non titulis effluentibus, non honorum prærogativâ fulciri, ſed Animo Virili integritatem publicam ſuſtineri.

Non impar Virium cordiſq; habitudine Patri obtigit Filius JACOBUS *à Sobieſzyn* SOBIESKI. Ab ineunte ætate bellicis expeditionibus innutriri non inhonorificum ratus SIGISMUNDO III. (ſigna & militarem illius ſecutus diſciplinam) Moſchos proſtranti, authorato, proprio ære haſtato milite; Comes affuit, ſed & partem Victoriæ tulit; nec aliàs greſſum in aciem fecit, quin Victor ab hoſtibus rediret. *Quantò difficiliora ſunt rerum negotia, tantò in illis feliciter expediendis, major ſit Virtus & ingenium neceſſe*: Ita auxit ejus famam perquam difficillima abſoluta ad Oſmannum Turcarum Imperatorem Legatio, qui violatorum pactorum, toto Oriente in Polonam perniciem collectô, ultum ibat; JACOBUS plenâ ſibi à Rege & Republica facta poteſtate Oſmanno ſe oppoſuit: & cui proculdubio ſpes erat innumeris copijs exiguum numero Polonum delere militem, ipſe vinctas dedit manus; effecitq; ſvavis fortiſq; JACOBI Eloquentia, quod Major opinione Turcarum vis nunquam peregiſſet. Pacta ſancivit, bellum avertit, pro hoſte Amicum conciliavit, docuitq; SOBIESCIORUM eſſe proprium, idem facere, ferro decernere, quod evincentibus ſine ſtrepitu & ſangvine rationibus concludere. Utiq; ipſum apud Barbarum laudem meruit illô effatô: *Armis expugnatum veni Poloniam, & rebus infectis abire cogor, quando mihi & cum Oratore, & ſimul cum Bellatore res eſt. Copijs ſum major, quàm Gens mihi hoſtis ferre poſſit; cedo jam liberali facundiæ.* Hæc ſunt, quæ in Pacis, belliq; foro inſtituit laudis ſuæ exercitia JACOBUS armis addictus; at non minùs Pietati in amplianda fide orthodoxa:

 Nam

nam Zloczovienſem, Pomorzanenſem, Zborovienſem è Lutheranorum poſſeſſione, ditiones exemit; Eccleſias Catholicas exemplari Clero locavit, congruiſq; proventibus dotavit, veritus magis DEI, Fideiq; hoſtibus quam Patriæ, communicare: exemplum perinde reliquit, ſic hoſtes gladiô, vel medijs Pacis; ſic Cives beneficijs; ſic Divos Altaribus in ſua Vota pertrahendi. Qualiter tot clarefacta rependere Polonia debuiſſet? nemo non intelligit: ſi tunc potuiſſet, regium offerre pomum, dediſſet. Cum tamen in Offerente ſit munus, ſatis eſt quod non vanè, non parùm ſuſpexit ſummam Virtutem, primum à Rege locum in ſæculari ſubſellio concedendo; plùs reliquit, quia immortalē etiā poſteris gratitudinē, quamdiu ſola cum SOBIESCIIS, (utinam ſemper) duraverit: Honores quos elegerint quos recuſaverint arbitrio ſubjecit. Quod ad extremum in Viro hoc celebratiſſimo deſiderabatur eſt, ut Succeſſorem ad ſuum exemplar in gerendis fortibus auſis procreâſſet. Attritis ergo aliquantum viribus per interruptas in Republica curas, ad quærendam Vitæ Comitem ſe contulit, quæ cùm pari Generis Nobilitate, tum Domus non infimæ factis & commendatione clareſceret; quæve Imperijs Dominos, Polono Orbi dare poſſet Moderatores. Inventa Bellona Marti, *MARTIANNA*, HIEREMIÆ KORYBUTH Ducis *in Zbaraz & Wisniowiec* Terrarū Ruſſiæ Palatini Filia, omnibus tum corporis, tum Animi prædita dotibus; (Iſtius verè Principis Sangvinis Viri fortes, alternis vicibus patrium tenebant ſoliū) ſpem tamen promiſſam nefaſtus eluſit eventus; exiguo dierum poſt nuptiales Contractus ſpatiô nulla prole beata, ingenti cum luctu Familiarū diem ſuum clauſit. Minorem planctum reliquiſſet, ſi ſpem Vitæ in Nepote dediſſet. Cum tamen in menſura diſpenſent lachrymas Superi, illorumq; poteſtatis ſit alternas pro libitu moderari vices, brevi lætiora ſubmiſerunt: tædiô ſcilicet vitam conficienti Viduô JACOBÔ Sponſam eò cariorem, quod non inanem ſpem conciperet. Audire vultis? quæ illa! THEOPHILA *JOANNIS DANIEŁOWICZ* Palat ini Ruſſiæ, vetuſtiſſimi à Colomano Rege Generis Filia, Regiæ

ſtirpis

ftirpis honos, Frons & Fons Sangvinis emerfuri; hæc ceu vitis abundans primo MARCUM eft enixa. Lufit immaturo fato Juventa Marci: ex pulcherrima ferenæ frontis Imagine, ac alijs lineamentis formata auguria, illum præprimô Domûs Ornamento fore. Præcluferunt quidem aftra, quod robufta expectabat ætas, cum ad plenitudinem dierum pervenire denegarunt. Jlle tanquam Vitæ fuæ prænôffet brevitatem, quæ erant Viri, fumma prævenit Indole. Expeditioni contra tremendam rufticorum Chmielniccianorum colluviem cum Cafimiro Rege adeffe & authorari poftulavit; ubiq; multorum Cæfor impavido pectore fuperior evafit. Tentavit fecundum Martem, ut five hic vivere & vincere fata ftatuiffent, five mori, in utroq; Cæfarem fe exhibuiffet. Enimverò adversò aleæ jactu, inclinatâ fuorum, cum electo Polonæ militiæ robore, parte, indefatigatus hoftium cædibus, nifi mors præpedîffet occubuit hac cùm laude: Et agere & pati fortia, *JANINORUM* eft: non minùs animi ineffe ad mortem, quam ad cædem, SOBIESCIORUM.

Implevit Annos, fufcepit negotium, non adeo vindex cædis fraternæ, quàm *JANINORUM* nunquam in dubium vocatæ exiftimationis in re bellica fecundò genitus JOANNES, feliciffimè non folùm Gentis Polonæ Sceptrum, fed totius Chriftianæ Reipublicæ falutē unus paterno finû excepturus. Spem ab uberibus Matris pendentem elapsô tempore pubertatis confirmavit, cum Marti fe non aliô eventu devovit, quàm ut & DEUM & fortunā Comitem ubiq; haberet. Nemo erat, qui inter fatis egregias artes vividi adolefcentis invidus focius, laudabili curiofitate Academicorum, bellicorum, politicorum negotiorum miram confvetudinem indiganti, facileq; addifcenti, non Regem fuo ævo futurū polliceretur. Legebat tunc quifq; in amænis fupercilijs, in augufta facie, in vafto pectoro, in gravi incefsû, in maturo geftu, in ponderofo fermone, quod fi quid adhuc Majorū fuorum addendum effet bonis fucceffibus, ille perficeret. Primam belli glaciem ad *Zboroviam* adijt JOANNES, nec lubricum expertus: Scythas, Cofacos perfequens, trucidans, fregit:

 often-

oſtenditq; ſat proſperè & propere quid Juvenilis valeat ardor, quē Nobilis & heroicus nutrit ſangvis. Suſpexit tacitus in ſui Commilitonis Ardoribus CASIMIRUS PRINCEPS larga Deorum munera, quæ ne lentâ abolerentur inertiâ, Vexilliferum Regni conſtituit, ut hoc prænobili Miniſteriô Curiam & pacem exornâſſet. Sed quid ille? quod Animus ſublimiori quoq; non patiens ſubſidere loco; juſtis armis, providô conſilio altiora quærere non deſinat, quod non longa intercapedine Scipiones, clavas, ipſum Sceptrum validus ſit abſq; ullô ambitu arripere, clarè effecit, non ſaltìm proficiendo. Inde Illi maxima de ſuo Regno, Libertate, juribus, ampliandis patrijs limitibus ſolicitudo, deliciæ; difficillima Regnorũ Status arcana reſolvere, malis impendentibus inopinato occurrere, præſentia ante culmum in radice ſuffocare, minùs oneroſa cura, dulcis fuit Cibus: jamq; peracutâ ſolertiâ non ita præparabat ac diſponebat quàm prævie operabatur, quæ gubernaculis Poloniæ admotus, compleri in ſummo Reipublicæ turbine, quo tunc res Noſtræ concutiebantur, expectabat. Dux rebellionis Coſaticæ *Doroſzeńko* ad *Podhayce* turpi ſe ſalvans, amiſſo exercitu fugâ, Sacramento juraret, quid non Duce dignũ in ſe ſuiſq; expertus ſenſerit, viderit, ſitq; admiratus? Ordinem exercitus, fervorem bellandi, ſtratagematum peritiam, neceſſitati providentiam, defectui ſubſidium, Caſibus ruinæq; promptum ſuffragium. Proinde ac ſi non aliâ occaſione permota Reſpublica poſt glorioſiſſimè geſtatum magnum Scipionem, Præfecturæ belli primam obtulit Provinciam. Talem Imperatorem! (cui non miles fidem, ſed & ſors ob magni Nominis, ac rerũ optimè exactarũ plauſum promiſit obedientiã; cujus aſtra, pontus, campeſtres belluæ nutum ſequi videbantur; quem non multitudo hoſtium, non dubietas conflictûs, non attritæ Vires, non pericula fluminum, ſaxorum aſperitas, viarum incommoda à propoſito deterruerunt) Aſiaticus cum Anteſignano ſuo Ottomano miles, per Podoliæ latifundia frequentes canens triumphos, Urbem populoſam Leopolim deſpolians, propugnacula demoliens, liberum populum

per

per colla trahens, nollet unquam noviſſe, qui didicit ſerò, optimè unius boni Militis imperiô fugari agmina numeroſiſſima. SOL-TANI ad *Bednaroviam* deinde ad *Chocimum* clades, quam acerba! quàm gravis! limitum Patriæ Invaſori: elegiſſet proculdubiò aliquam ſuæ Provinciæ partem ſponte obtuliſſe, quam à malè partis, tam enomiter, tam impudenter, tam ignominiosè reſilijſſe. Ivit per cruentas contra bellantium ſtrages, cautô paſſu, non tardâ Victoria Triumphator *SOBIESCIUS*: ivit ante & retrò hoſtium ſternens cadavera: nec dura, nec mollia, nec promiſſa, nec oblata, & quod maximum, nec proximum honorem (ubi in Principem ſuæ Gentis uno voto, ore, ſenſu, apprecatione electus eſt) reſpiciens. Parabant jam Proceres devotuſq; populus in ſolio Pacis domi, non in acie recenti aſperſa ſangvine optatum Regem adorare, non tamen æquè juſtum ille ratus id ſibi præſtari officium; noluitq; frontem ſubmittere Coronæ, donec novo in Patriam merito deſudaſſet. Intellexit tunc SOLTANUS non incongruè, Neo-Electi conſalutatione Principis Provinciam occupari, hilarijs dari operam, ad excipiendum uſitato gentis more Dominum ſolennia præparari, ipſumq; JOANNEM à tot præliaribus curis reſpirare: tunc uſus facilè temporis favore, caſtra ad Camenecum plurimo aucta Equitatu peditatuq; diſpoſuit; diſpoſitis, tanquam omnia in ſecuro fierent, vindictam ſui recentis exitij repetiturus; omnem ſacra violandi, tributa exigendi, lectorum Juvenum puellarumq; prædæ, vel mercaturæ exponendi, dedit facultatem. Hac in ſedanda procella date ſæcula parem! Rex JOANNES extra ambitum, oblitus pompæ, oblitus ſolennitatum publicæq; lætitiæ ad Inaugurationem Coronæ, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Cõmunis neceſſitatis quærit: collectô ad famã vicinæ hoſtilitatis ſuorum manipulô, (ſi ita placeret bonis Dijs) morti planè inſtanti Vitam paratus eſt immolare: plùs ducens Honori, decenſq; eſſe idem Principi pro Patria vivere, idem mori gloriosè. *Non illa certa ſalus Civium, ubi Rex eſt ſuperſtes, & hi deficiunt: Vivunt iſti, ſi Rectores ſui Animam reddant. Periculum timet Reſpublica*

D 2 *à Mode-*

à Moderatoribus, se laudabili inter suorum acervos & cadávera morti subtrahentibus. Avita congenitaq; sibi dexteritate, quod semel, idem iterum iterumq; cum æmulis Turcarum JOANNES egit copijs; ita delevit & fugavit notabili cum clade castra, ut SOŁTANUS ampliùs se hostem futurum Regni ejurârit. Ita Rex! Dux! Milesq; venit Cracoviam ad Coronam; Pater ad Filios, Princeps ad Proceres, Dominus ad subditos.

Quid ergo nunc ab augustissima, invictissima Regia Sede expectemus? quid promittamus? ecce! Templa Fidesq; Zelatorem, contentiosum forum Diremptorem, Libertas Conservatorem, probefacta Remuneratorem, Pupilli Defensorem, bella Triumphatorem, Miles Ductorem, Pax Tutorem. JOANNES III. omnia! Justitiã extra querelas administravit, Libertatem extra pressuram tenuit, Religionem extra censuram coluit, Merita extra favorem appretiavit, Egentes extra qualitatem ditavit, Singula & universa extra omnem arrogantiam, ostentatum, prætextum exhibuit; ut & prærogativâ eximij Principis, & SOBIESCIORUM Nomen tot sæculis commendatũ, magìs redderet venerandũ. Viennensis Expeditionis prosperitas, (quam tot insignes bellorum peritiâ Religiosi Principes unius JOANNIS sui Magistri commiserunt defensioni) insolita; post aliquot minùs faustas cum Bisurmano Germanorum velitationes & prælia; parta triumphô, apertè docuit docetq; non tantum voce protunc solius Imperatoris Leopoldi, Provinciarumq; sibi subjectarum acclamatione, nec non Confæderatarum Nationum unanimi sensũ, verùm etiam, ex solis gestis in tam truculento, turbulento, perimenteq; Fidei, Religionis, Catholicarumq; ditionum statu, fuisse, Fulmen inexpectatum hostibus; Numinis Brachium periclitantibus: Christianitatis *SCUTUM* & Liberatorem. Vix hæc non loquerentur, Jllius triumphis in Germania, Italia, Gallia erecti obelisci, si spiritu vitali animarentur; stant certè attoniti nec facilê amovendi; donec quis exsurgat Major JOANNE III.

Quam cælitùs, vel à Patruis gratiam accepit Optimus Parens, eandem in JACOBUM, ALEXANDRUM, CONSTANTINUM,

vere Re-

verè Regios Filios, & TERESSIAM CUNEGUNDAM Filiam, Sangvinis Principes transmisit. Quot quot vivi supersunt Testes, major fides oculatis, quam aure vel ore prurientibus dabitur: Jlli sunt laus genuina Filiorum, Nepotumq; JOANNIS Invictissimi; illi cultissima lucidissima suorum operum Panegyris: illi sincera Histo-ria: qualiter hæc Serenissima proles Parentum suorum, pervetustiq; Nominis inhærendo tritis vestigijs, Pietate, armis, ære, consilijs, pia Liberalitate, tractabili Majestate, dulci familiaritate; Ecclesiam, Pa-triam Cives devinxerint; qualiter utriusq; religiosissimi Genitoris instituto, Virtutibus, Scientiâ, Prudentiâ, gloria, magnanimitate pro-fecerint; qualiter pro Aboriginum suorum nobiliori fama, quid quid indolis, bonæ existimationis, recti honestiq; sibi inerat sedula con-tentione perquirere, cumulare non omiserint: Jlli inquam Arbitri ad evulgandam JOANNIS Nepotũ gloriã, ori digitum non impo-nant. Mihi hoc Sole clariùs est: *Maximorum, Excellentissimorum, Illu-strium Virorum solida merita, si cum diffluente Oris halitu, & Verborum sono conferantur, nullum illorum reperiri vestigium; per Auram transierunt. Adeoq; quæ in se & ex se stabilia, firma fulcro non egent; quæ compta colores quæ decora flosculos negligunt. Laudis Nitor nunquam ex sua conditione & natura clarus est; sed illorum culturâ, quorum pulchra dicta, facta per-censentur. Perquam justum est tacere, ubi & Magnitudo & Claritas No-bilium factorum obruit Eloquentiam. Solem digitô expungere illusio est.* De solo JOANNE & Nepotibus, multò plùs de singulis præclaris, præpotentibus *JANINIS*, SOBIESCIIS plurimùm dixisse idẽ est quod incepisse: meminisse æqvum & gratum.

Admonet jam ipsa rei necessitatisq; ratio, ut postquam de Ma-jorum *SERENISSIMI PRINCIPIS* dignitate non adeo affatìm secundũ justitiæ exigentiam egissem, etiam aliquid pro splendore currentium laudum de ipsius JACOBI capessam præcellentia. Plurimùm de-buit Sangvini *PRINCEPS SERENISSIMUS*, quod de Domo stirpeq. regia processerit; non minùs hæc illi, quod multis titulis suæ Prosa-piæ fuerit ornamentô. *Non parùm dedit qui pro pulchro genere & San-*

gvine totum se cum benè culta vita obtulit. Utiq; non sola Genitorum suorum laude admodùm contentus; quantùm de Jllorum gloria in se profusum jubar advertit, tantùm viciſſim circa immortalitatem eorum fovendam, conſervandamq; de ſuo studio adjecit. Ortus ille, (jam conſtat quibus Genitoribus) ortus Pariſijs Nobiliſſima Galliarum Metropoli 1667. die 19. Novembr: Hoſpitem tantùm! quomodo Gens Amabilis, gratioſa, bonorum Morum Magiſtra, ſeveriorum Diſciplinarū Emporium, Flos Europæ ſuſcepit? ablactavit? & pro Inclytiſſimorum Parentum Honore, & ſumma ſui exiſtimatione neminem latet. Annos regimini gerularum ſubditos non commemoro: hìc quoq; nil leve offerri poterat, Magiſtrìs, ad futuram Regiô filiô dignam educationem, in molli ſtatim ætate quò ad corpuſculum flexibili, quò ad Indolem tractabili, quò ad mores imitabili, genium formantibus. Ætate ſuâ depoſitâ prætextâ, cum ingeniū docile, memoria prompta, tenax aviditas, egregius ardor apparerent, vix paſſus eſt non inertiæ aut cervicoſitatis causâ, ſed felicitate capacitatis pia politicaq; tradi præcepta. Quid quid enim vidit, audijt, mente peracuta imitandum vel fugiendùm præſcivit, hoc ſine monitore reliquit, illud ſine ſtimulô peramanter complexus eſt. Amant Maximi, Equeſtrium ludorum ſpectaculis teneros aſſveſcere annos: hoc PRINCIPIS Noſtri tam libenter Animum irritavit, ut citra humaniores ſcientias plùs ad bellica ſtudia, præſertim auditis toties *POTENTISSIMI GENITORIS* ſui pulcherrimis conflictibus, raperetur. Jam partes primi militis, jam ſummi Ducis obire edoctus, nil, niſi pro Aris focisq; agere, Patres Patruoſq; ſapere ſtatuit in Animo. Redijt poſtliminiò in Patriam necdum ſibi notam, Patrem clariſſimum in omni belli progreſſu ſecutus, ac imitaturus. Quantùm! creditis? concepit JOANNES III. ſolatij, quando ad Viennā Auſtriæ, ubi in illas acies (quibus ſumma æſtusq; prælij claudebatur) hoſtium irrumpendi facultatē à Patre, Præfecturamq; accepit. Prima hìc (conjicio) obtulit ſe JACOBO neceſſitas latus ad latus in dubio rerum conflictu, congrediendi. Mira cum voluptate ſpectares,

res, quâ, necdum Veteranus dexteritate id Muneris, suscepit Principes satis in difficultate frangendi vimq; hostis reprimendi probatos, suo Regimini & Vexillis sociatos, perspectâ Ottomanì castrorū fortitudine incessit formido, cùm aliô Consiliô vim saltim adversā sustinere, non propulsare parârunt, imperterritus Dux sic cohortatus: *Eja Socij! armis accincti, Animum non metum induite: Campus quo fixit pedem hostis Patria Nostra est: Nos desides si spontè scienterque jacturam eorum, quorum Nostra interest patiamur, & non dolenter eousq; aspectemus. Me hercle! Virtutem nostram non segnis insequitur gloria. Vitam transeuntem, sive hic, sive alibi mors expectat inevitabilis, utinam sicut in præsens secura & gloriosa; alibi (credo) inopinata, indecora, vel prolixa. Non turpis Noster exitus est, cùm vincemus: quod summè ab omnibus desideratur Nostra fama, Nostrum decus est. Vincemur honorifice? non surda volabit fama pro Deo, rebus Orthodoxis multò sangvine partis laribus, exemplô Majorum Nostrorum ultimum diem clausisse. Hanc unam si frangemus, numero non Virtute armatam cohortem, metus transit in omnes. Eja milites! non Nos relinquat Cor generosum, dextra Domini dabit Virtutem & fortitudinem.* Hoc dicto tantisper plùs, datô signo, consertis utrinq; manibus, tantâ hostium vix sperata cæde, paucis suis amissis, primam celebrem Portam universali aperuit Victoriæ. Audijt ista PATER, sumptoq; ex Filij successu omine, hostiles copias futuras suas, certo sibi promisit, cùm Natus à sinistro, Parens à dextro latere castris oppositis insedissent. Quis non Ardor præliandi Filium, quod Genitor spectaret; & Genitorem quod Filius erudiretur incessit? Utrumq; ad multorum invidiam fortiter stetisse, ad omnium admirationem sine magna suorum strage decertâsse didicit Imperator LEOPOLDUS; & restitutam Imperij sui magnam partē gratulatus, plùs Polonorum, quàm Principum Electorum adscripsit subsidijs; Hæreditatemq; propriam Vitâ redemptam aliena benè intelligens, si quid præstantiùs, si quid digniùs pro JOANNIS III. Filijq; sui merito obtulisse poterat, non parùm contulit, Voce solenni sua per omnia castra, per frequentē universorū Statuū Sexûsq

Viennæ turbam miſsâ & acclamata; *VIVAT JOANNES SALVATOR.*

Cùm ventũ eſt ad ſpolia; ſi quæ JACOBUS Victor tulit, nihil ex apparatu ſatis raro ac pretioso magis æſtimandum fuit, quàm Imperatoris ille favor: non minûs CAROLI II. Hiſpaniarũ & Indiarum Regis Aurei Velleris monile, quo ſignificaret Regiũ PRINCIPEM pro ſumma, in tanto Imperij conflictu dexteritate, non Inſigni tantùm hoc Regibus communi dignum, ſed etiam ſceptro cuivis parem evaſiſſe. Incitatus his prælijs JACOBI extra patrios Penates fervor non remiſit Domi; & rebus in Germania compoſitis, pace inter belligerantes ſtabilita, fæderibus hinc & inde perſcriptis non ad delicias & commoda duris aſſvetam laboribus Indolem, non ad inertem otioſamq; quietem ſtudia convertit. Oſmanus locô mutari fortunam credens, quàm ad Mænia Viennæ inconſtantem expertus, faventiorem ad Camenecum Podolienſe ſperabat. Succendit ergo ignem ſuo majori damno futurum; limites vicinos Poloniæ, nemine ſe opponente incendijs, tributjs, cædibus pecorum hominumq; præda aggrediens, ac devaſtans. Rex JOANNES ſatis bene arbitratus, non eſſe opus ſuo ad res Camenecenſes præſidio JACOBO Filio commiſit omne negotium. Æquo Marte hic nunquam certatum eſt; Regius PRINCEPS, quod Natura ad Orbis prodigium ſuis artibus munivit, quod hoſtis tam recentis Militiæ validô ſubſidio, balliſtis, machinis, cuniculis, ignitis globis adjuvit, felici induſtriâ, Virtute pertinaci, labore non adeo duro Fortalitium expugnavit. Quodſi nôrunt cui ſerviant Leones; ſic Fortuna eximios tantùm comitatur Herôës: nunquam certè meliora potuit mereri ſtipendia, quam ſub JACOBO. Jllam etenim ſive certa ſubeſſet ſpes Victoriæ, ſive dubia inconſtansq: belli verteretur alea, ibi non ſublatus optimô dextrè geſtorum ſucceſſu, hic forti ſemper non deſpondens Animo ſatis habuit PRINCEPS reverenter.

Iſta ſunt! quæ pro laude bellica foris, domiq; geſſit. Jam quæ ad ampliandum Familiæ ſuæ honorẽ, ſangvinis propagationem, Nepotum informationem referuntur nonne ſunt ſolennia? cum ELI-

SABE-

SABETHAM AMELIAM *Neoburgensis Principis*, inclytis Animi muneribus, & Nominis splendore, & divitiarũ copia Jllustrem Filiam Sponsam duxit. Magna se cum illa SOBIESCIORUM Atriis pars intulit Orbis; scilicet Cæsares, Daniæ, Angliæ, Norvegiæ Reges, primi Electores Imperij Consangvinei. Jllud unum! memoranda maximè superat: quod cum ex ea procreatam Filiam CLEMENTINAM Angliæ Regi JACOBO STUARDO elocasset, regnum illud mundo clariùs reddidisset, nisi Religionis diversitas Anglorum fæderatarumq; Provinciarum tantæ sorti obstitisset. Facta hujus Sanctæ mulieris viva, multis severioris Vitæ artibus nobilitata, plurimis cæli favoribus coronata, in molli Regum ad luxumq; facili thoro primâ Innocentiâ decorata, post mortem placidissimam, pientissimam raris hoc ævo miraculis approbata, quomodo Gentis illius gloriam, SOBIESCIORUM percelebrem famam auxit, sole clarius constat. *Anima certe DEO placita pium devotum, religiosum, Orthodoxum Regnum fecisset, restituisset vel impetrasset.* Inde liquet, quænam & Parentis JACOBI fuerat Pietas, Religionis Amor, quem Natæ, & pulchrô sangvinis commercio, & Exemplo Institutioneq; nobilissima, juxtaq; cælesti instillavit. Zolkieviensis Ecclesiæ, & insignis Capellæ Arcis ibidem; quæ orandi sedulitas: Missæ Sacrificiorũ frequentia, Exhomologesis consvetudo, parietes dicerent: quæ Abstinentiæ ratio? festa solennia præveniendi, ad Sacra mentem Corpusq; præparandi, pruritum ingluviei restringendi, carnem spiritui bono subjugandi, Escæ loqerentur; quæ Serenissimæ Aulæ, in Divinis præceptis Deiq; timore, recti honestiq; studio, in æqualium æstimatione, Præpositorum reverentiâ, inferiorum dilectione, omniũ exemplari Societate laudabilis disciplina? dicant illi, qui Sacram Civilemq; vivendi normam illa in Universitate Pietatis didicêre. *Princeps & Sanctus, Potens & modestus, Dives & misericors*, rarò odbservata in mundo talia Virtutis specimina.

Clementiam & affabilitatem Regijs moribus congenitam forte cum injuria explicabo. Si parcè loqui, & quando, Majestati consen-

taneum, nunquam plùs noſter JACOBUS auditus, quàm ad Viros Inſignes affatim, hoſpitaliter excipiendos; querulantes in ſuis lacrymis ſvaviter compeſcendos; inopes cum verbo bono & largâ eleemoſyna remittendos, cæteros quosvis ſive propria, ſive aliena negotia exponentes: (à fabulis tamen aure retractâ) incunctanter abſolvendos; (brevibus rem expediam,) ad aliquam recreationem Animi, ad Amicorum Conſolationem, ad jucundam mentis ſerenitatem, ad juſtam laborum curarumq; remiſſionem, ad ſalubria danda Conſilia, & ad ipſius Modeſtiæ leges ſatis erat. Liberalitatis autem neſcivit modum, quid dederit, cui dederit planè ignarus: *Ita aurei Principes facilè aurum contemnunt, ſeu quod aureas habent Animas, ſeu quod liberali conſvetudini pretium ac ſufficientem theſaurum non inveniant.* Exhibuiſſe aliquod manu promptâ officium lex illi Sacroſancta: multùm intra ſe conturbatus ac inquietus, ſi cunctanter beneficium facere pateretur. Ibant redibant; inopes, neceſſarij, validi, ægri, cæteriq;, nullus illorum quæſtus eſt, majora expectabam: tenax Princeps eſt; durus ſermo Regius; aſſeclæ Palatij inurbani: PRINCIPEM reverenter adire, contueri, alloqui, intra extraq; forum occurrere licuit; nec Majeſtas vultûs quemquam terruit, nec inhumanitas procul ab aula depulſa portas obſeravit. Non æris Cuſtodes Miniſtroſq; examinabat, ſitnè ærarium exhauſtum, lætus cum omnia ad DEI & proximi utilem ceſſiſſent uſum: *Didicit quippe Nummos fertilem eſſe glebam, quæ bene culta multum facit proventum, intacta ſpinas, lappas, tribulos profert.* Noluit tamen propter Aurum adorari, quod ſolius DEI munus eſſe cognovit, utpotè donum & datum optimum à Patre luminum pro Arbitrio cui vult, affluenter dandum, vel denegandum. Pro congruis tantùm regiæ familiæ reditibus aliquid, ac gentium exterarum Legatis magnifico apparatu excipiendis reſervabat, cautus vim auri robuſtiſſimam, non tantum corda mortalium, ſed & conſcientias ſplendidis ſuis illaqueare compedibus. Cleri ſingularem reverentiam nemo non laudavit illis in ædibus, ubi ſummus Dei cultus eminebat, Sacerdos Angelus; religioſus Quæſtor Chriſtus; peregrinus ac ſi quis cælô demiſſus, ſalutabantur ac ſuſpicieban-

tur

tur. Prandere ſine Presbytero Jejunium erat Principi undequaq; pientiſſimo, & ſi quando de ſua menſa ad pauperes aliquid non tranſijt, omnia ſua perdidiſſe dolebat. Inter hæc, quæ pro voto, in erectis Sacris Baſilicis, auctis, Xenodochijs, ampliatis beneficijs, dotatis Paræcijs reddidit Altiſſimo, *Scholis* quoq; Noſtris PIJS non parvam impendiſſet operam: certus *SERENISSIMUM* PARENTEM apprimè Inſtituto Noſtro faventiſſimum quondam in ſuis bonis præclaram Fundationem obtuliſſe. Profectò mentem GENITORIS, ſuamq; ſingularem in cepta Złoczovienſi Domo complêſſet benevolentiam; dicant illi, qui & Vitæ & Mortis religioſiſſimæ teſtes aderant; quam fervens unicumq; illud erat deſiderium PRINCIPIS, in quo & Vitæ ſuæ extremum poſuit, atq; ultimum tranſmiſit Cælo ſuſpirium.

Talem Vitæ ſuæ tenuit curſum *SERENISSIMUS* JACOBUS, ut in omni bene merendi de GENITORE ſuo, de Patria, de Civibus progreſſu nil non laude, nil non perenni gratitudine, nil non imitatione ſeria proſequendum impleviſſet. Si cujus quippe Virtutis tenerô maturôq; ævo ardens illi intererat ſtudium, illud ſolâ Magiſtrâ perfecit Magnanimitate: adeoq; ita omnia agere ſatagebat, ut vix aliquis meliùs; ita præcellere, ut non ſine difficili contentione alijs conſequi incumberet. Sic ſe natum! taliter educatum, hoc in faſtigio poſitum ubi mente tacitâ pervolvebat pulchra indoles nil vile, nil ſolitum aggredi; perfervens ſangvis nil tritum adniti ſtimulabat. Quamvis in multis communis Vitæ rationes inijt, & tamen diſtingvebatur non ex eo; quod ab Optimi Parentis Filio, à Regio Principe, ab Jlluſtrium Abavorum Nepote proficiſcerentur, unde pondus, reverentiam, acceptationem, plauſum, obtinerent, ſed quia novo ſemper cum decore, raro cum ornamento non remiſſè, non perperam agenda laudabiliter proſecutus. Verbò publicis privatiſq; uſibus Patriæ ſic ſe dedit, ut oſtenderet, quod affinis & Succeſſor ſit throni atq; Coronarum, Sereniſſimæ verò Familiæ Hæres ultimus ex aſſe, & Corona. Unde ſi quid, tam altô Nomini Domuiq;

ſuæ addere potuit addiditq; Honoris ex nexu Sereniſsimarũ Proſapiarum WISNIOWIECCIORUM & LESZCZYNSCIORUM. Celſiſſimarum SANGUSZKORUM, RADIVILIORUM, JABŁONOWSCIORUM; Jlluſtriſſimarum, GRANOWSCIORUM, DANIEŁOWICCIORUM (aliâ ſi mitto hic non ſegnis Ignorantiæ causâ, ſed quod & tabula non ſit capax tantum Syllabum ſuſtinere, & quod longa lucubratione perquirenda eſſent Nomina; veniam ſupplex oro) ſuper ſummũ exiſtimo his Sceptra Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Angliæ, Daniæ, Electorum Imperij decora, JACOBUM in Nobiliſſima Filia ſua illâ CLEMENTINA: tũ CAROLINA Celſiſſimis Principibus Galliæ *de BOUILLON* primô, ſecundoq; poſt fata alterius Fratris: voto nuptam ſociâſſe: tanquam pro eximijs SOBIESCIORUM meritis Orbis ſe illis in præmium partiri deberet: ſeq; offerret ad regendum.

Sic moritur quem fama vehit, quem ſæcula longo
Tempore formabant, magno de ſanguine Regem.

Quâ igitur comploratione non privata, ſed totius Orbis proſequendum ſit funus Sereniſſimum ſemel dixi, ſed de tanto Principe, de tam ſpectabili Heroë, de Ultimo Generis ſui Conſumenti, nunquam plenè. Cecidit PRINCEPS! tot Provinciæ ingenti concuſſæ dolore ingemunt: Ah Magnus ille! Nomine, fama, Viribus, factis obijt: Cecidit PRINCEPS! numeroſæ lacrymas non valent ſiſtere propagines; Ah Specioſus ille! Cor, Pupilla, Delicium Generis ſui, non parva quædam pars pulchri Corporis defecit: Cecidit PRINCEPS! non tam lugere, quam inter crebros ſingultos Animam agere videtur Polonia: Ah Fortis ille! non quivis privatus lucem reliquit: Cecidit Miles! caſtra fremunt, mutuisq; ſe præ mærore vix non conficiunt cædibus: Ah Inſignis, Victor ille! qui Vitam pro Patria poſuit. Cecidit PATER! Pupilli, Pauperes, Peregrini, religioſæ Familiæ graviter ad deliquium uſq; mentis ſuſpirant, Ah Optimus ille! qui manum à liberali munere offerendo non retraxit, nunc in erepta ſibi lucis uſura omnium oblitus. Cecidit PATER & FUNDATOR! quid attonitæ hæretis *SCHOLÆ PIÆ?* ad feretrum aut loquendum eſt, aut moriendum. Ah Sereniſſimo Cinere Capita & Corda aſpergamus ob perennẽ ſui memoriam ſi effuſus in planctum eripit Verba dolor, & lacrymæ pondera Vocis habent. Si verò pace Celſiſſimorum Jlluſtriſſimorum Reverendiſſimorũ Comploratorũ vocem edere licuit, non ad augendam Funebralem PRINCIPIS pompam, non ad apparatum lugubrẽ promovendum recitanda recitavi, ſed ad nunquam largè deplorandum PRINCIPEM FUNDATOREM, parcè dixi.